



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. XI. Ad rubricam, de auctoritate & usu pallii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

guntinum. Desumptum est capitulum 3. ex libro primo Registri epist. 331. caput ultimum ex libro 2. Epist. 262. quibus jungi debent lib. 1. Epist. 568. lib. 2. Epist. 52. 262. & 272. Abbas Urspergensis de bellis Philippi & Ottonis & ad annum Christi 1125. Gesta Innocentii III. pag. 30. Kranzius in Metropoli lib. 7. c. 9. & 17. Tritemius chronico Hirsaugiensi ad annum 1201.

CAP. XI.

Ad rubricam, de auctoritate & usu pallii.

S U M M A R I A.

- | | |
|-------------------------------------|---------------------------------|
| 1. Pallii figura. | 5. Donationis Constantini etas. |
| 2. Ejus utilitas & effectus. | 6. Auxanius pallio donatus. |
| 3. Genus Imperatorii indumenti. | 7. Aurelianus inidem. |
| 4. Patriarchis ab initio concessum. | 8. Hodierna pallii forma. |
| | 9. Baronius notatur. |

Pallii figura.

Ejus utilitas & effectus.

Genus Imperatorii indumenti.

Patriarchis ab initio concessum.

PAllium ornamentum Archiepiscopale, de figurâ suâ describitur à criticis Gregorianis notis ad *c. 1. b. 1. lit. E.* Usus ejus atque origo satis antiqua, effectus verò, nempe ut Metropolitanis post ordinationem suam nihil sui muneris obire possint, donec à sede apostolicâ missum eis fuerit pallium, de corpore B. Petri sumtum, jus novum aulæ Romanæ est. Fuit hoc pallium antiquitus genus Imperatorii indumenti, ab initio solis Græcis proprii sed postea Imperatoribus quoque Romanis usitati. Apud Vopiscum jubet Valerianus dari Aureliano, inter alia, pallia proconsularia duo: Et in epistolâ Commodi ad Albinum: *Sanè ut tibi insigne aliquod Imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem.* Ejusque usum Imperatores Patriarchis concesserunt, à quibus deinde & cum Metropolitanis communicatum fuit. Erat hoc pallium indumentum totius corporis, ad talos usque promissum, sed splendidissimum & pretiosum, non fasciæ laneæ, ut ex Pelagio & Gregorio primo, Pontificibus Romanis probat P. de Marcâ *de concord. sacerdot. & Imp. lib. 6. c. 6.* Inprimis ex loco Johannis Diaconi in vitâ S. Gregorii. Affirmat is Gregorium in veteribus picturis videri indutum pallio ex bysso candente contexto & nullis acubus perforato, quod in morem vestis

vestis humeros ejus operiebat. Hoc ita esse, nempe pallium genus fuisse indumenti Imperatorii, non ausint negare illi, qui donationem Constantini agnoscunt. Permittit enim donationis hujus instrumentum Sylvestro Pontifici omnium indumentorum Imperialium usum his verbis: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulq; Phrygium, nec non superhumeralia, videlicet lororum, quod Imperiale circumdare assolet collum, verum etiam & chlamydem purpuream, atq; tunicam coccineam.* Quæ quidem donatio, utut commentitia sit, quia tamen ejus monumentum sat verus est, & tempora Caroli Calvi antecedit, imò in mundo fuit Hadriani primi & Caroli magni ævo, originemque pallii tribuit Imperatoribus, idque per iplos octingentos annos fuit creditum, satis probata inde videtur origo ab Imperatoribus profecta. Marquardus Freherus, vir longè doctissimus, Hadriani Papæ Epistolam 35. adhuc ineditam, ait in Bibliothecis haberi, in quâ fit mentio donationis Constantinianæ. Vide Freheri comment. *in donat. Constant.* Inde elicit P. de Marca Constantinum dedisse & Lororum, sive fascias, quibus indumentum ejus ornabatur, & chlamydem, id est, pallium Imperiale, adeoque pallii vocabulum olim fuisse complexum & pallium ipsum regium integrum, & fascias sive lora, quibus id erat ornatum. Accedit, quod legitur apud Liberatum Diaconum in *c. 21. breviarii*, Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum, à sede suâ dejectum, Pallium Imperatori Justiniano reddidisse, nempe Justiniano & conjugi ejus Theodoræ. Unde sequitur ab his eum ante accepisse. Denique & hoc argumento id probat vir illustrissimus, quem aliquoties citavimus. *Episcopus Arelatensis*, inquit, *novâ quâdam & peculiari dignitatis prerogativâ auctus erat, beneficio Zosimi, summi Pontificis anno CCCC XVII.* Eam deinde auxit & Symmachus anno 54. sedis Apostolicæ vicariatû per Gallias & Hispanias eidem Episcopo concessio. Auxanius ad hanc cathedram evectus anno 543. præter vicariatum Papæ Vigili, pallio etiam insigniri cupiit, quod Pontifex distulit, donec ab Imperatore Justiniano probatum foret. Hujus autem dilationis hanc reddit rationem: *Ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulastis, cum consensu*

Donationis
Constantini
et as.

Auxanius
pallio dona-
tus.

*Aurelianus
iisdem.*

*Hodierna
pallii for-
ma.*

*Baronius
notatur.*

sensu christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentiâ judicemur. Id est, ut fidem servaret Imperatori cum reverentiâ debitâ. Et biennio post, eum Episcopo illi morem gessisset, secundum desiderium Childeberti Regis, eum hortatur, ut preces ad Deum fundat, pro Justiniano & Theodora, qui annitente Belisario consenserant, ut Auxanio Vicariatus ille tribueretur, atque pallium ad eum mitteretur. Auxanio defuncto successorem ejus Aurelianus eodem honore profecutus est Vigilius, ut Regis Childeberti votis obsequeretur, & epistolâ ad Aurelianus scriptâ jussit, ut Belisario grates ageret, qui & laborem & sumtus itineris, quod Aureliani tabellarius ad Justinianum instituerat, suâ curâ abstulerat, & consensum Principis obtinuerat pro hoc beneficio Anno 596. Cum Regina Brunehildis optasset, ut Syagrius Episcopus Augustodunensis Pallio honestaretur, non refragatus est Pontifex, sed tamen non ante concessit, quàm consultus Imperator per Gregorii Diaconum in urbe Constantinopol. commorantem respondit sibi placere, ut ita fiat, *Gregor. lib. 7. Epist. 5.* Ex his concludi potest, non aliam excogitari rationem posse, quâ ostendatur necessitas consensus Imperatoris, ut Syagrio Pallium absque vicariatu, Auxanio Aurelianoque cum vicariatu concederetur, quàm jus illud quod sibi Imperatores retinuerant in concessione horum indumentorum, quæ cum Imperialia essent, & summo Pontifici cæterisque Patriarchis concessa ab Imperatoribus, vulgari non potuerint absque eorum consensu. Et hæc de pristina pallii forma seu figura: sed hodiernum nihil aliud est, quam fascia lanæ candida, in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo pendet fascia simili materiâ & specie, super pectore, & alia similis ex adverso inter humeros utraque crucem habens rubeam, præter eas cruces, quæ in ipso circulo exstant super humeros: Quod alligatur tribus acubus aureis, quas Spinulas vocant. Ita describunt Honorius Augustodunensis, Hugo à S. Victore, & Innocentius III. *libro 1. de myster. Missæ. c. 63.* Ubi & hoc notandum, quod Baronius Phrygium pro pallio accipiat contra usum veterum. Vaticanus Interpres instrumenti hujus donationis

tionis

tionis exponit *καλυπτρον μίτραν*. Et Glossæ Isidori, *Phrygium* mitra. Est enim Phrygium capitis ornamentum superiore sui parte clausum, in parte verò inferiore circulum habens aureum in modum coronæ. Hanc mitram Bonifacius 8. altero circulo aureo auxit, & Urbanus V. tertio, eodem modo dispositis, quo hodie tiara Pontificis visitur. Sed & ipsa donationis verba se interpretantur, ibi: Phrygium candido nitore splendidum ejus sacratissimo vertici nostris manibus imposuimus. Denique accedit locus Sugerii in vitâ Ludovici Grossi, ubi ait, capiti Innocentii II. impositum fuisse phrygium, quod Sugerio est Imperiale ornamentum. Plura de hoc pallio dixi in controversiis meis illustribus superioris seculi.

Finis Eclogæ IV.

Amœnitatum Juris Canonici

ECLOGA QUINTA.

CAPUT PRIMUM

Ad cap. 3. de us. & auct. Pal.

S U M M A R I A.

- | | |
|-------------------------------------|---|
| 1. Inscriptio capituli integratur. | 4. Quo tempore confirmatio per pallium coepit. |
| 2. Species facti. | 5. Gregorius VII. jusjur. fidelitatis introduxit. |
| 3. Effectus pallii noviter indutus. | |

Inscriptio hujus decretalis integra exstat in compilatione tertiâ: Et est talis: *Innocentius III. C. tituli Sancti Laurentii in Lucinâ Presbyteri Cardinalis AP. S. d. Legato. Confer cap. 3. & 4. de offic. Leg.* Species facti hæc: Gualterus Trojanus Episcopus & Regni Siciliae Cancellarius postulatus est ad Panormitanam Ecclesiam, eoque translatus à Sancio Cardinali & Legato sedis Apostolicæ in Sicilia, inconsulto Pontifice. Nondum admissâ postulatione, datove pallio Gualterus Archiepiscopi nomen sump-

Inscriptio capituli integratur.
Species facti.